

B. 41. 31.

Brunken, tr. G. v. d. J.



# Diplomatica brevis expositio Nexus & Præstationum Districtus Piltenfis erga Serenissimam Rempublicam Poloniæ.

*Sine d. febr. 1791. auct. script. in d. d. die iuu. April. 9. f. n. a. s. v. h. a. r. s. i. a. d. e. l. e. g. i. s. i. u. m. v. i. l. l. h. u. s. s. u. m. L. a. u. d. v. a. l. l. f. v. a. n. d. e. r. s. t. i. c. k. a. u. f. f. d. u. s. d. a. m. a. s. t. a. u. s. L. a. u. d. v. o. l. l. m. a. s. t. i. g. l. a. r. e. a. s. n. i. t. p. a. p. p. e. m. n. o. n. s. p. e. i.*

**P**ositio Terrarum Ordinis Teutonici ex adverso Poloniæ nulla alia erat ante subjectionem, quam quæ existit inter Respublicas, inter quas reciproçæ invicem rationes intercedunt. Ab inducta Religione Evangelica sæculari imperio suberat Episcopatus Curoniensis, & Episcopi, quamquam aliquam superioritatem territorialem exercerent, sentiebant tamen & agnoscebant, pendere se ab Ordine. Recessus Volmariensis Anni 1546 Episcoporum arbitrio in disponendo & cedendo limites ponit, ac Dependentiæ illorum fines describit. Episcopus Otto a Minichhausen, contraeundo obligationi impositæ, versis suam in utilitatem discordiis internis, quidquid forte Juris haberet, transtulit in Regem Daniæ, Fridericum II. pretio 30,000 Thalerorum Imperialium, qua quidem re Curoniensis Episcopatus sive Districtus Piltenfis venit in potestatem Ducis Magni, quippe qui, vi Juris a Rege fratre sibi cessi, ejusdem possessionem occupavit Anno 1560. Ad illud usque tempus Polonia considerari debet, tanquam *Respublica externa*, cujus in omnibus illis negotiationibus atque scenis politicis, quippe *Causam Ordinis solummodo* concernentibus, nullæ fuerunt partes. Cum vero Anno insequenti facta essent Pacta Subjectionis, cum Rex Stephanus 1579. concessisset Investituræ Diploma Duci Gottardo, Polonia quodammodo in se recepit obligationem restituendi pristinæ integritati Feudum Curlandiæ, deminutum

ESTICA

A. 2880

Est.

A

TRD. 4418

42806173

avulsione Districtus Piltensis, iungendique eundem Ducatui, Quæ nisi ponantur, non habuisset Rex Stephanus neque titulum neque prætextum occupandi Districtum Piltensem defuncto Duce Magno, movendique de hæreditario Jure controversiam Regi Daniæ. Utut exigua esset hæreditas derelicta, utut Curia Danica primo videbatur esse aliena ab arrogando sibi in eam Jure aliquo (vid. Heidensteinii Chron. Lib. VII. pag. 210.) tamen partim persuasiones, partim exacerbationes mentem Curiae mutabant adeo, ut inevitabile exarsisset bellum, nisi sese interposuisset Marchio Brandenburgicus Georgius Fridericus. Tractatus Croneburgensis, qui Anno 1585 huic controversiæ bellum minitanti finem imposuit, est non tantum Pactum Conventum mutuuum duorum Regnorum Jure Gentium nitens, sed subit etiam vicem primi Documenti publici Juris publici particularis Districtus Piltensis, quippe quo ratio subditorum erga supremum Principem definitur, atque in omne ævum roboratur data fide Principum, tum Pactum ineuntium, tum sese interponentium. Tractatus esse inviolabiles, neque qualemcunque Rempublicam una ex parte Articulos Fœderum pacis ita explicare valere, ut sibi soli convenient, id quidem est Axioma Juris publici universalis ulteriore dilucidatione non indigens. Tota igitur res ex eo pendet, ut binæ, quæ sequuntur, quæstiones explanentur & ad eas respondeatur.

1) Num Regno Poloniæ Juris auctoritate (etenim de Jure Potentioris hic non agitur) competat Potestas mutandi, absque consensu Statuum Provincialium, conditionem politicam Districtus Piltensis, eundemque omnino incorporandi?



2) Quænam sunt illæ præstationes, quas Regnum Poloniæ exigere potest a Districtu Piltensi consentaneæ & convenienter Pactis fundamentalibus?

Si fœdere Pacis Cronenburgensis permixtus fuisset Districtus Piltensis Poloniæ ita, ut penes eam esset arbitrium pro lubitu de illo disponendi, & ut Districtus esset considerandus, tanquam Provincia Jure belli acquisita: animo concipi non potest, cur Polonia neglexerit eum tractare modo, quo bello occupatæ Provinciæ tractari solent; cur non induxerit modum administrandi imperii civilis in omnibus ejusdem partibus illum, quo Regnum ipsum utebatur? Cur denique dominium utile a Directo separaverit? — Ratio atque consuetudo hoc Idearum harum iter monstrarunt; quippe naturæ rei conveniens. — Quod enim possessiones oppignoratæ fuerint Marchioni Brandenburgico, illud quidem impedire non poterat, quo minus interna Districtus ordinarentur. Quilibet historiæ pragmaticæ gnarus, documentum aliquod antiquum explanaturus, gradum referre debet ad ejusdem temporis Epocham, atque inquirere, quid consuetudo ac mores tunc tulerint, quæ quidem observatio etiam nostro respondebit consilio. Inter cætera ait Tractatus Cronenburgensis: „universis & singulis Nobilibus & Oppidanis Jura, Libertates & Privilegia sua legitime hucusque obtenta atque usurpata confirmabuntur.“ Apparet evidentissime, hunc locum collineare ad primævas Immunitates Incolarum Piltensium, & ad constitutionem civilem, quam tempore huius fœderis Pacis, tum etiam temporibus illud antecedentibus, & insequentibus, sartam tectam servarunt, cujus conservandæ Causam

non tantum agebat Curia Regia Danica & Marchionalis Brandenburgica, sed etiam primo conditionum loco ponebant, ut illa salva esset. Nonne supervacaneus esset & inutilis Articulus hic, nisi Daniam & Brandenburgiam illum sibi scopum proposuissent, dicamus, ut Districtus Piltensis tanquam Respublica quædam peculiaris conservaretur? Et Polonia nonne in se recepit, subsecuta confirmatione, obligationem regendi vel ipsa, vel per alios, hanc Terram non alio modo, quam quem Jura & Libertates, quibus Districtus adhuc utitur, permittunt? Igitur eum in formam Provinciæ Poloniæ redigere, illud quidem esset recta fronte invadere hanc fœderis definitionem. Tum enim res exigeret, ut, subversis & abolitis antiquis Juribus & Libertatibus, incolis Piltensibus competentibus & confirmatis, nova præscriberetur Norma. Præferat faciem historia, ut in majore luce constituantur, quæ sunt dicta. Curlandia, cui Districtus Piltensis jungitur, armis occupabatur Germanorum generosi & liberi sanguinis, quorum tessera erat libertas, qui illis suis temporibus ne cogitatione quidem ullam despoticæ in se dominationis Ideam habere poterant — „Germani non regnantur supra libertatem — Quidquid igitur erat pristini moris Germanici, illud omne in has terras inferebatur — Jus feudale Alemanicum antiquum, Jus Civile Saxonicum, Convocatio Conventuum publicorum & similia — Jura & libertates Statuum provincialium erant permagnæ, quod omnia ex iis pendebant. Hinc ante pacem Westphalicam Principes Germaniæ plenum non exercebant imperium, neque habebant nisi Jus tuendi & protegendi. (Vid. Mascov. Jus publ. Lib. II. Cap. 2. §. 54. & seqq. de Regni Germanici ortu & finibus.) Post pacem

autem Westphalicam, quæ ad Curlandiam, quippe separatam ab Imperio Germanico, iam plane nihil pertinet, Status Imperii, alendo copias semper in armis paratas, infinite maiorem potestatem & potentiam adquisiverunt, & Statuum Provincialium Libertas arctioribus circumscripta fuit limitibus.

In Curlandia antiqua Constitutio Germanica retinebatur, modificata per Pacta Subjectionis & nexum feudalem. Cæterum Poloniæ Suprematus similis est Juri tuendi & protegendi, sive Advocatiæ, tunc temporis in universum stabilito. Nemo forte in dubium vocaverit, ea, quæ dicta sunt, applicari etiam posse Piltenfi Districtui, quod eum cum Curlandia conjungebat similis utriusque Constitutio, neque doceri potest, exterum nexum aliquem intervenisse. Hinc omnia Jura, Libertates & Privilegia, quæ Fœdere Cronenburgensi confirmata sunt a Partibus illud ineuntibus, & roborata Guarantia aliorum Principum, referre sese debent analogice ad Constitutionem Germanicam antiquam tunc temporis existentem, & Rex & Respublica Poloniæ per cessionem factam a Rege Daniæ nihil, præterquam Jus Advocatiæ in Districtu Piltenfi, obtinuerant. Ut quilibet convincatur, locum ex Tractatu sæpius adducto allegatum non continere sponsonem præstandæ securitatis, complectentem solummodo privatas singulorum Incolarum possessiones atque fortunas, sed ad Constitutionem civilem Districtus in universum esse accommodandum, inspiciat illum Articulum, qui privataram fortunarum securitatis præstandæ causa est insertus. — „Eadem „ratione cæterorum quoque nobilium & subditorum jura & privilegia de bonis suis justo titulo hucusque possessis ipsis &



„ eorum heredibus salva esse, conservari & a Serenissimo  
 „ Rege &c. confirmari debebunt.“

Acta posteriorum temporum demonstrant, Poloniam ab hac consideratione nunquam se dimovisse, & in omnibus Ordinationibus & Conclulis antiquæ Constitutionis Germanicæ rationem habuisse. Abunde vero est demonstratum, Jus vindicandi Piltensem Districtum Poloniam non habere nisi hoc respectu, ut ille Curlandiæ Feudo jungatur: sed modus arbitrarius atque Constitutioni contrarius, quo Duces Fridericus & Guilielmus regimen administrabant, Incolas Piltensis Districtus ab hac unione deterrebat, rogatumque fuit, ut, servatis in suo robore primævis Juribus, Polonia immediate ipsa gubernaculis manum admoveret. Quo facto petitiones Ducum ius suum persequentium vario prætextu frustratæ sunt, & constat, Ducem Guilielmum non nisi ex cessione Marchionum Onoldinorum, annuoque censu soluto, possedisse oppignorata Bona Erwahlen, Hafenpoth & Neuhausen. Cum Anno 1616 Guilielmus Dux privaretur Feudo, Duxque Fridericus enixissimis precibus contendens demum effecisset, ut Feudum retineret, facillimum fuisset Regi Sigismundo III. & Republicæ Poloniæ eo adigere Ducem, ut omni suo in Piltensem Districtum jure se abdicaret, atque demandare Commissioni Regiæ Anno 1617 in Curlandiam missæ curam plenariæ Incorporationis. Quod tamen non est factum, sed potius dabatur in mandatis Commissioni, ut, adhibito Consilio Statuum Provincialium, Formulam Regiminis & Jus Statutarium Districtus Piltensis describeret & stabiliret. Atque in hisce ordinationibus vestigia morum antiquorum Gers

manicorum ubique conspiciuntur, Jus ferendarum Legum est penes Status Provinciales; eorundem de gremio deliguntur Judices, qui Pares Curiae imitantur. Servitium Equestre est obligatio ab antiquo Jure Feudali Germanico praescripta: & Statuta pro parte desumpta sunt ex vetere Jure Saxonico. Quae tandem est ratio, ut tam benigne agerent cum Districtu Piltensi ii, penes quos summum est in eum Dominium? Quae tandem res movere eos potuit, ut veteres mores Germanos potissimum ponerent loco fundamenti omnium suarum Ordinationum? Foedus Pacis Cronenburgensis pro Norma observabatur: Rex & Respublica, quod constat ex adductis jam Factis, Articulum — „universis & singulis in verbis,, — ita interpretabantur, ut exigebat Constitutio civilis, quam stabilitam invenerant. Explanato priori objecto nostro, sive affatim demonstrata asseveratione hac, quod Rex & Respublica Polona non valeant disponere de Districtu Piltensi acsi de Terra proprietatis iure ad Eosdem pertinente, neque possint, absque consensu eorum, quorum interest, mutare Constitutionem civilem: jam ex ipsa huius Constitutionis Forma & ex nexu cum obtinente Supremum Jus Respublica fluit altera quaestio: Quenam sunt illae praestationes, quas, pro beneficio Juris Advocatiae, necessario subire debet Districtus Piltensis, quaeque cum Recognitione aliqua possunt comparari? Ut hac etiam in quaestione Diplomatum fidem advocemus, oportet adducere locum huc pertinentem ex foedere Cronenburgensi: „ Contributionibus quoque, exactionibus & vectigalibus in- „ usitatis & extraordinariis & ab reliquis Ordinibus Regni „ non laudatis vel receptis atque collatis, Ejus Episcopatus „ subditi minime praegravari debent, sed eorum eadem, quae cae-

„ terorum inclyti Poloniæ Regni incolarum habebitur ra-  
 „ tio. “ Porro ait: „ Fieri placuit ut ejus Districtus sub-  
 „ diti annis quinque subsequētib; ab omnibus exactio-  
 „ nib; expeditionibus, oneribusque publicis vacent atque immunes  
 „ habeantur &c. Tempore autem eo exacto communi cum  
 „ regni subditis sorte censebuntur. “

Crederes primo intuitu, Terrigenas Piltenses, effluxo  
 Immunitatis quinquennio, obstrictos esse pendere quædam  
 tributa annua, ut reliqui incolæ & subditi Poloniæ. Ut spe-  
 ciem a veritate discernamus, sit nobis dux itineris historia  
 Polona. Ab anno inde 1574 Bona terrestria in Polonia  
 liberata fuerunt a quocunque tributo: placebat, ut in vim  
 Recognitiōnis, a manso & laneo, duo Grossi solverentur Lu-  
 dovico tunc temporis Regi. (Vid. Crom. Descr. Pol. Lib. II.  
 pag. 128. Neugb. H. p. Lib. III.) Hoc tributum cessabat  
 regnante Sigismundo Anno 1507. liberatis a cujusque gene-  
 ris tributo Bonis terrestribus. Imo Constitutione Anni 1588  
 regnante Sigismundo III. vetantur milites habere stationes  
 in Bonis terrestribus, quæ Lex renovata est regnante Joanne  
 Casimiro & infamiæ poena in violatorem ejus sancita. (Vid.  
 Hartknoch. de Rep. Pol. Lib. II. Cap. 5. & Legn. Jus Publ.  
 Polon. Capite de Tributis.) — Quodsi cum adductis Tracta-  
 tus Cronenburgensis verbis comparentur hæc Historiæ Ex-  
 cerpta, incurrit in oculos, non posse esse sermonem de tri-  
 butis & pensitationibus consuetis, quippe quæ tunc tempo-  
 ris in Polonia erant nulla, hinc Daniæ Regis & Marchionis  
 Brandenburgici cura non poterat esse benefica, nisi efficerent,  
 ut Polonis, eo temporum tractu ab omni tributorum genere  
 immunibus, adæquarentur Piltenses, Sed quoniam illa ad  
 quinque



*quinque annos* concessa immunitas concipi non potest, nisi simul ponas obligationem ad aliquam præstationem, dicendum est, hic nihil aliud intelligi, quam Servitium Equestre, ex antiquo more Germanico veniens. Libertatione ab Equestri Servitio ad quinquennium concessa eo magis indigebat Provincia motibus Danicis & Polonicis exhausta, quod Stephanus Rex vivebat temporibus valde turbidis, inibat Societatem nunc cum Suecis contra Moscovitas, nunc cum Moscovitis contra Suecos, quodque eadem de Causa ob crebras ad militiam peragendam evocationes præstanda erat moribus antiquis Germanis sequela campestris, sive Servitium Equestre.

Spatium temporis ab anno 1585 usque ad annum 1617 propius est, quam ut memoria obligationum mutuarum inter supremum Dominium & Districtum intercedentium extincta esse potuerit, aut ut sollicita indagazione ex Archivis eadem integrare opus fuerit. Apud æquales illorum temporum recentior erat mentis Tractatus Cronenburgensis memoria: hinc Acta commissorialia Anni 1617 eodem sese referentia considerari possunt ut Commentarii rerum anteriorum temporum, neque solum cum Pacto Danico, sed etiam cum Jure antiquo Germanico conjunctissime omnia concordabant. Formulæ Regiminis § 19. modum Recognitionis aut præstationis, quæ Piltensi Reipublicæ, vigore Articuli Transactionis Danicæ, superius adducti, incumbit, evidenter explicat. —  
 „ Servitium Nobilitatis Equestre Sacræ Regiæ Majestati debi-  
 „ tum quod attinet constituimus, ut in posterum non minus  
 „ sit 80 Equitum armis omnique apparatu bellico bene in-  
 „ structorum. “

In ipſo ſphi ingreſſu apparet, Commiſſionem Regiam, definiendo numerum equitum, non voluiſſe imponere novam obligationem feudalem, ſed definire accuratius Recognitionem præſtandam generaliter vi ac poteſtate Tractatus Cronenburgensis — Vox: *Debitum*, antiquiorem ſupponit obligationem. Servitium Equestre locum non habebat niſi belli tempore. Illa enim ætate nulli erant exercitus ſemper armati, ſemper parati ad bellum: quivis Vaſallus, tenens feudi iure agros, obſtrictus erat ad ſervitia inde præſtanda tempore belli, aut ſe jungebat ſocium armorum, & acquisitionum bellicarum particeps fiebat. Hiſtoriæ bellorum Sæculi XVI. levis explanatio ſufficit ad demonſtrandum, in omnibus Europæ Regnis & Rebus publicis exercitus conſtituiſſe ex manipulis hominum tumultuarie congregatorum, qui, pro qualitate prædæ ſperatæ, ad longius vel brevius tempus nomen ſuum inter milites profitebantur. Experientia & Facta ipſa Ordinationem Piltensẽ, cuius definitio diplomatice eſt demonſtrata, quaſi appoſito Sigillo ſuo confirmarunt, neque unquam, præterquam tempore belli, iſti 80 Equites præſto adfuerunt, neque unquam alio tempore, ut præſto eſſent, poſtulatũ eſt. Sigifmundo etiam tertio regnante, tempore Decretum Commiſſoriale præcedente, turma una Equitum, idque tempore generalis Evocationis ad expeditionem bellicam, ac prævia Cancellariæ bellicæ requiſitione, armis inſtruebatur & militatum mittebatur adverſus Ducem Sudermanniæ Carolum, qui poſtea factus eſt Rex Sueciæ huius nominis XI. Quæ omnia explicantur tabulis teſtimonii a Supremo ejus temporis Exercituum Regni Duce, Carolo

Chodkiewicz, Nobilibus Piltensibus traditis, dignis; quæ hic adducantur:

„ Universis & singulis quorum interest notum facio  
 „ Generosos Dominos Nobiles Piltenses fidem suam & prom-  
 „ titudinem S. R. Majestati & Reipublicæ indefesso studio  
 „ approbantes non solum tum temporis, cum Carolus Suder-  
 „ dermanniæ Dux, Exercitum suum copiis nostris ad  
 „ Kirchholmium acie opposuisset, in suppetias nobis expe-  
 „ dita Equitum als venisse & prælio cum eodem commisso  
 „ adfuisse, strenue & fortiter depugnasse. Verum etiam re-  
 „ centi hac adversus Mansfeldium expeditione *non vocatos a*  
 „ *me, nec litteris Sacræ Regiæ Majestatis admonitos*, sponte sua &  
 „ ultro, sumptu suo, eadem promptitudine unum vexillum  
 „ Equitum in Castra adduxisse, fidelemque, & tam velitando  
 „ quam incurrendo hostem, tum vigiliis & omni officiorum  
 „ genere operam strenuam navasse. Quæ cum laudem quam  
 „ maximam promereantur & ab innata Generosis animis  
 „ gloriæ cupidine fluxere, cum præterea Virtus, fidei sancti-  
 „ tas & res præclare gestæ immortalitate famæ atque justif-  
 „ simo pretio rependatur, harum virtutum, huius fidei ipso-  
 „ rum monumentum præsentis hoc testimonio Posteritati  
 „ & æternæ memoriæ consecro.

Scriptæ in Castris d. 27. Octobr. 1608.

JOH. CAROL. CHODKIEWITZ.

Supervaneum foret, enotare, quod ad hæc usque no-  
 stra tempora Piltensis Districtus ita se gesserit, ut Officium



atque rationes, quæ ei intercedunt cum Ser. Republica, exigunt. Nota est historia recentiorum temporum. Ubique inveniuntur vestigia, Incolas Poltenses pro norma agendi sanctissima habuisse Officium, Conscientiam & inconcussam in Serenissimam Rempublicam fidem ac devotionem. Qua quidem re factum est, ut primæva politica Districtus Constitutio non tantum inconcussa steterit, sed recentiores Constitutiones Regni eandem tutam esse iusserunt ab quibusvis invasionibus injustis & vexationibus, quæ dignitatem Serenissimæ Reipublicæ famæ exponendo minus gratæ, subruunt pulcherrimum Monumentum nexus atque Dependentiæ per sæculorum seriem confirmatæ.



*Litteræ reversales Ordinum Regni ratione contributionum  
datæ 17 May 1674.*

**N**os Senatores atque Ordines Serenissimæ Reipublicæ Polonicæ in hisce Electionis Comitibus congregati notum testatumque facimus præsentibus literis Nostriis, quorum interest, universis & singulis, qua ratione Illustrissimus & Celsissimus Princeps Dominus Jacobus, in Livonia Curlandiæ & Semigaliæ Dux, cum Nobilitate sua Curlandica, Semigallica & Piltenli in hoc calamitoso statu necessitati Reipublicæ succurrando ex indefesso amore erga eandem certam pecuniæ summam pro bello Turcico destinaverit, quam Nos exercitui Magni Ducatus Litvaniæ assignavimus. Ne autem promittitudo ista, in tam gravi casu declarata, in sequelam trahatur, aut Illustrissimæ Suæ Celsitudini & Nobilitati detrimento cedat; Nos nomine universæ Reipublicæ non tantum contributionem hænc benevolam, & juxta pactorum tenorem indebitam, benevolo amplectimur affectu, verum etiam pro Nobis & tota Republica Poloniæ, autoritate comitali Electionis cavemus, quod promittitudo ista postquam Illustrissima Sua Celsitudo & Nobilitas Curlandica, Semigallica & Piltenlis solummodo ad vasallagium & servitia equestria intra fines Ducatus Curlandiæ, Semigalliæ & *districtus Piltenfis*, ad nullas contributiones aut exactiones obligentur, pactis conventis nihil derogare, nec quocunque tempore pro imponendo vel exigendo aliquo pactis minus conformi onere a quoquam in sequelam & præjudicium trahi debeat, quin potius omnia jura, privilegia, pacta, immunitates, libertates factas testisque manere Illustrissimam Celsitudinem suam cum universa Nobilitate Ducatus Curlandici & districtus Piltenfis ab hocce ex propensa

voluntate in praesenti Republicae promisso ac omni aliorum  
 pactis minus conformi, onere posthac *in perpetuum* liberos  
 & immunes esse, nec quidquam extra pactorum tenorem exi-  
 gi aut imponi, debere, *universa Respublica sancte promittit*  
 & *cavet*. Majoris si ei & certitudinis causa praesentes Celsissi-  
 mo Domino Primati jam non extante, manu Illustrissimi  
 Reverendissimi Excellentissimi Principis Domini Andreae  
 Trzebicki, Episcopi Cracoviensis, Ducis Severiae, tanquam  
 praesidis comitiorum modernae Electionis, nec non D. Domi-  
 norum Senatorum Regni Poloniae Magnique Ducatus Litva-  
 niae & nunciorum terrestrium Marchalci subscriptas sigillis  
 eorundem communiri fecimus. Datum Varaviae in Comitibus  
 Electionis d. 17 Maji anno 1674.

(L.S.)

ANDREAS TRZEBICKI.  
*Episc. Cracov*

STEPHANUS WIERZBOWSKI.  
*Episc. Pofnaniens.*

BENEDICTUS SAPIEHA.  
*Thesaur. M. D. Lithae.*  
*Marchaleus Ordinis Equestris.*

M. PAC.  
*Palat. Vilns.*  
*Supr. M. D. L. Exerc. Dux.*

JOAN. ANTONIUS CHRAPOWICKE  
*Palatinus Witepsens,*

MARTIN. OGINSKI.  
*Palatinus Trocensis.*

ALEXAN: HILAR: POKULANSKI  
*Marchaleus Supremus M. D. L.*

(L.S.)

*Concordantiam hujus Copiae cum  
 Metrica Archivi Ducalis pravia colla-  
 tione facta hisce attestor.*

JOANNES EBERHARDUS NEIMB  
*Archivi Ducal. Secrus.*

Mppria.